

petuus pro tempore nomine plebani existens et altariste, qui presentes in opido Kempnicz fuerint, duos ex se ordinabunt redditus jam dictos in singulis scilicet terminis Walpurgis et Michaelis medietatem a dictis ortorum colonis repetentes et colligentes. Ordine, ut inferius describitur, distribuant absque impedimento. Primo equidem plebanus certum diem, prout ipsi competere videbitur, post singulos dies Walpurgis et Michaelis censibus collectis prefiget, in quo ipse plebanus cum suis cappellanis ac altaristis tredecim vel quatuordecim in numero personis seu cum aliis assumptis ad hoc in defectum altaristarum in ecclesia ^{a)} parrochiali Kempnicz vesperis finitis convenient, vigiliis sollempniter incipiant et cum novem leccionibus decantabunt subsequente die singuli ipsorum missam pro defunctis cum commemoracione mei meorumque progenitorum celebrabunt commemoracionemque generalem videlicet „Non intres in iudicium“ alte legant et cum responsoriis consuetis ac Salve Regina decantando. Ob hoc distributores ordinati cuilibet personarum presbiterorum quatuor grossos censuales distribuunt et duos per nos nummos usuales adicient cuilibet in summa missa ad altare offerendos. Vitricis vero ecclesie extunc, ne ecclesia in aliquo gravetur, tres grossos dabunt et ministro vel campanatori, qui representationem feretri ornet, luminaria incendat et extingwet, sedilia locet et compulsacionem faciet, qualibet in commemoracione tres grossos, regenti chorum, ut summam missam cum scolaribus tractim decantare faciet, pro defunctis unum grossum ministrabunt. Iidem denique collectores in eisdem commemoracionibus leprosis in leprosario existentibus cuilibet ad manus equali divisione XV gr. proiciantur (*sic*) et pauperibus in domo, que conventus vulgariter nuncupatur, pro reparacione domus seu in alios usus necessarios secundum exigenciam inibi commorancium similiter XV gr. ministrabunt. Preterea ne occasione premissorum debita servicia ac consuetudines cuiquam subtrahantur, ordinati collectores plebano pro tempore existenti census decimales de prescriptis redditibus ab olim debitos in singulis terminis Walpurgis et Michaelis XIj (=11½) gr., quorum summa ad XXIII gr. annuatim se extendit, aliosque X gr. de novo per me deputatos eidem, quorum medietatem ipsis prenominatis terminis ministrabunt. Insuper quia prescripti redditus statuto municipali sunt subjecti, dicti collectores consulibus in opido Kempnicz temporibus debitis de quatuor et dimidia marcis solvent impositam communiter exaccionem. Preterea collectores, qui ordinati fuerint, ut premissum est, ut diligentius commissa exequantur, quilibet quatuor gr. de dictis redditibus de anno pro laboribus sibi inbursabit. Denique omnibus et singulis, ut prescribitur, ordinatis distributis et expeditis, iidem collectores plebano et altaristis aut ipsorum III^{or} ex ipsis faciant racionem. Si quid de dictis redditibus superflue et in reposito fuerit repertum, cum scitu plebani et altaristarum in usus egenorum et presertim pauperum, qui alias erubescant mendicare publice, convertetur, super quo ipsorum distributorum consciencia oneretur. Quodsi futuris in temporibus per quemquam succedencium impedimentum aliquid orietur, quod premissis ordinationes non transsient in effectum, extunc consules ipsius opidi, ut possint et valeant, instare monere et procurare, quod predictae ordinationes progressum realiter consequantur, plenum posse ob honorem ecclesie obtinebunt. Ut autem premissis donaciones et ordinationes irrevocabiliter per-

a) ecclesie, *Original*.